

C U R R E N D A.

Venerabili Clero Dioecesano, Salutem in Domino!

Nro 251.

Præsid. Ecclesia catholica a Spiritu Sancto edocta, „sanctam et salubrem esse cogitationem pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur,” omnibus fidelibus suis, maxime vero Sacerdotibus, sacrificiorum, precum, aliorumque piorum operum pro defunctis oblationem, pro sua in omnia membra charitate suam opere commendat. In omnibus Missis, in omni officio diurno æque ac nocturno, fidelium animarum nos meminisse jubet; imo largitione indulgentiarum ad opem illis serendam excitat, concedendo per summum Pontificem S. Pium V. singulis Officiis Defunctorum orantibus, quinquaginta dierum indulgentiam. Quam S. matris sollicitudinem pia mente recolentes, sequentia ordinamus, et perpetuo observari volumus:

- I. In omnibus Ecclesiis curam animarum habentibus, sive sacerdotalibus sive regularibus singulis annis, tribus proximis diebus post Commemorationem Omnium Fidelium Defunctorum, in quibus non occurrit festum duplex, tria anniversaria pro Defunctis celebrabuntur, scilicet: 4^a die *pro defunctis Episcopis et Presbyteris Diocesanis* cantata Missa de Réquiem ordine prima, quæ in Commemoratione OO. Fidelium Defunctorum dicitur, cum unica Oratione, „Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes,” 2^a die *pro defunctis fratribus, propinquis, fundatoribus et benefactoribus Ecclesiae*, cantata Missa ex Anniversario Defunctorum cum unica Oratione „Deus venie largitor,” 3^a die in Ecclesia Cathedrali: *pro defunctis Diocesanis*, in parochialibus: *pro defunctis parochianis*, cantata pariter Missa ex Anniversario Defunctorum cum unica Oratione „Fidelium Deus.” Ante Missam cantabitur Officium Defunctorum unius Nocturni cum Laudibus, post Missam primis duabus diebus „Salve Regina” tertio die „Libera me” cum Salve Regina.
- II. Alia quæcunque Anniversaria et Missæ fundationales in dies hisce anniversariis præfixos cadentes, transferendæ erunt in alios proxime sequentes non impeditos. Quodsi penes Ecclesiam, ubi unicus adest Sacerdos, funeris ergo Missam in die Depositionis Defuncti præscriptam hisce diebus cantari vel legi necesse fuerit: anniversarium impeditum in proximum diem, in quo agitur officium semiduplex, transferetur.
- III. Singulis annis in Festo OO. SS. populus fidelis ad hasce Exequias, quæ anno currenti diebus 3. 5 et 6. Novembris celebrabuntur, e sacro suggestu invitabitur.
- IV. Præter Rectores Ecclesiarum, qui ad hæc anniversaria celebranda tenentur, omnes Sacerdotes in cura animarum constitutos, ad tres Missas hisce diebus ad eandem cum anniversariis intentionem legendas, obligamus, idem a ceterorum pietate exspectantes.

Oremus pro invicem, fratres charissimi, ut invicem salvemur, et memores verborum Salvatoris „Quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, hæc et vos facite illis” eam animabus fratrum laborantium exhibeamus charitatem, quam nobis quondam eadem sorte detentis ab aliis exhiberi ingemiscentes exoptabimus.

Ab Ordinariatu rit. lat.

Premisliæ die 18. Octobris 1847.

Nro 1962. Opidum Dombrowa Circuli Tarnoviensis igne bina vice, die 24. Maji & Junii a. c. erupto, jacturam 57410 fr. C. M. perpessum est, dum 35. domus conflagrarent et 150. familiæ ad incitas redactæ sint. Ad sublevandam sortem horum infelicium in fundamento Altius Gubernialis Decreti ddto 17. Septembris a. c. Nro 58145. collecta instituatur in quavis parochia et summulae oblatae ad C. R. Cassam Circularem deponantur.

FRANCISCUS XAVERIUS

EPISCOPIUS.

Ex Consistorio Eppali rit. lat.
Premislae die 15. Octobris 1847.

Adalbertus Dziama.
Cancellarius.

FRANCISCUS XAVERIUS
E Q U E S D E
WIERZCHLEYSKI,
DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA
EPISCOPUS PREMISLIENSIS

RIT. LAT.

**Universo Venerabili Clero diccesano tam saeculari quam regulari,
Salutem in Domino et Pastoralem Benedictionem!**

Quamquam Romanus Pontifex, qua Christi in terris Vicarius, Spiritualem solum in Ecclesia exercet potestatem, animarumque solum curat salutem: tamen charitas Christi urget eum, ut etiam temporali ovium suarum hono consulat, corporalique earum inopiae succurrat. — Qui haeres est cathedræ apostolicæ, curam et sollicitudinem Apostolorum circa juvandos et sovendos pauperes et miseros eo labentius in se suscepit, quo firmius tenet, se gregi dominico normam sui proponere non posse, nisi ei cum Apostolo vero dicere liceat „*Praeter illa, quae extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandatisatur, et ego non uror?*”

Quo spiritu et modernus Romanus Pontifex Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. animatus, pia antecessorum suorum secutus vestigia, ut primum accepit, Hiberniæ Regnum ingeniti inopia premi, et tetrica morborum contagie vexari: litteras encyclicas ad universi orbis episcopos dedit, hortans eos, ut in Dioecesibus suis, prout pridem Romæ actum est, in templo aliisque locis sacris tribus diebus preces publicas indigant, quibus Deus misericordiarum Pater exoratus, Hiberniæ gentem a tanta calamitate liberet, et tale tantumque infortunium a ceteris etiam Europæ regnis regionibusque propulset. Ut vero id alacrius utiliusque contingat, iis qui qualibet vice precibus illis interfuerint, indulgentiam septem annorum, iis vero, qui toto tempore recitationi illarum precum intererint, et sub tridui hebdomadam Sacramento poenitentiae expiati, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum susceperint, Indulgentiam plenariam Auctoritate Apostolica largitus est. Quia vero anno elapse jam aliae Indulgentiæ plenarie publicatae erant, postea autem hyeme ingruente propter vehemens frigus et grassantem in quam plurimis locis epidemiam, quæ quandoque Curatos præ multitudine visitatorum ægrotorum neque ad horam respirare passa est, harum precum institutio haud consulta videbatur: ideo eas in hoc primum tempus rejecimus. Igitur præfasatas litteras encyclicas Vobis, Venerabiles Fratres in adnexo / communicantes, singulis Ecclesiarum tam parochialium — ad quas et filiales spectant — quam regularium Rectoribus sequentia mandamus:

- 1mo. Ut receptis præsentibus litteris Nostris Dominica proxime sequenti post concionem de sacro suggestu populo annuncient, a Sua Sanctitate Pio Papa IX ad avertendam ab Hiberniæ gente aliisque Europæ populis, inopiae, famis morborumque calamitatem, et ad divinum auxilium pro universa Ecclesia implorandum, publicas trium dierum preces indicias esse, quæ proxima die dominica, feria secunda et tertia in Ecclesia parochiali vel conventuali absolvantur, pariterque in Sacellis sororum charitatis institui debent. —
- 2do. Ut populo exponatur, singulos, qui toto triduo mane et a meridie devotioni huic in Ecclesia parochiali, conventuali vel sacello sororum charitatis, mente pia et corde contrito interfuerint — dummodo a peccato mortali sint immunes — indulgentiam septem annorum; eos vero, qui toto triduo mane et vespere devotioni interfuerint, et præterea intra tridui hebdomadam, i. e. sub decursu hebdomadis, qua devotio inchoabit, adeoque a Dominica usque ad Sabbathum inclusive Sacramento poenitentiae se purgaverint, et SS. Eucharistiae Sacramentum susceperint, Indulgentiam plenariam lucrari. Quodsi confessio paschalis in eandem inciderit hebdomadam, qua preces hæ absolvantur, sufficiens pro lucrandis Indulgentiis plenariis censebitur. —

3tio. Ordo devotionis sequens observabitur:

- a). Dominica, qua devotio incipiet, hora pro majori Missa parochiali præscripta, coram Sanctissimo in Monstrantorio exposito, contabitur Missa votiva pro quacunque necessitate »*Salus populi*» in colore Albo cum Gloria et Credo, et commemorationibus: de Dominica, SSmo, pro Pace, Papa et Imperatore. Intra Missam concio. Præfatio de tempore. Post Missam pro averteuda calamitate ab Hibernia aliisque Europæ populis, et obtinendo pro universa Ecclesia auxilio Dei, celebrans cum populo polonice dicet 5. Pater, 5. Ave et 1 Credo, addita oratione polonica »*Ineffabilem misericordiam Tuam*» cantatisque »*Przed oczym Twoje Panie*» et Supplicationibus, devotionem pro more concludet. Post prandium hora competenti exposito Sanctissimo in Monstrantorio, cantatisque Vesperis latinis — in Cathedrali etiam Completorio — dicentur Litanie de Omnibus Sanctis cum adjectis Orationibus, et ad eamdem ut mane intentio nem 5. Pater, 5. Ave et 1. Credo, omissa Oratione »*Ineffabilem misericordiam*» utpote post Litanias iam occurrente. Decantato hymno »*Przed oczym Twoje Panie*» et Supplicationibus, devotio — ut solet — terminabitur. —
- b). Feria secunda et tertia idem servabitur ordo, nisi quod in Missa sequentes accipiendo sint commemorationes: de Sanctissimo, pro Pace et pro Papa. A meridi vero omissis latinis vesperris, — quæ solum in Ecclesia cathedrali recitabuntur cum Completorio, devotio absolute post expositionem Ssmi in Monstrantorio ab Litaniis OO. SS. incipiet, eodemque modo terminabitur feria 2. ut die Dominica; ast feria tertia post supplicationes intonabit celebrans „*Te Deum*” et decantato „*Salvum fac*” devotionem concludet.
- c). In Missis privatis concordabit Missa cum Officio, solumque post præscriptas Orationes accipietur commemoratione pro quacunque necessitate, pro Pace et Papa. —
- d). Missæ privatæ de Requiem — excepta una solemni præsente cadavere — hoc biduo interdicuntur. —
- 4to. In locis, ubi præter Ecclesiam parochiale etiam conventualis reperitur, ita Regulares devotionem instituere tenebuntur, ut devotionem parochiale non turbent. — Deinde
- 5to. Collectio eleemosynæ pro Hibernia, de qua in litteris Apostolicis est sermo, ex professo non instituetur, cum angustæ nostræ regionis res id fieri non permittunt. Quæ vero pro Hibernorum levamine sponte oblata fuerint, libenter quilibet Rector Ecclesiæ accipiet, Nobisque medio Decanalis Officii transmittenda curabit. —

Dabamus Premisliae die 7 Martii 1848.

**FRANCISCUS XAVERIUS
EPPUS.**

PIUS PAPA IX.

VENERABILES FRATRES!

Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Prædecessores Nostros Romanos Pontifices ad Christianas Gentes, quacumque possent ratione juvandas, diligentem omnem, sedulamque curam semper exhibuisse, plane scitis, Venerabiles Fratres, quibus Ecclesiæ historia cognita, et explorata est. Neque ignoratis salutare illud, pulcherrimumque studium, non spiritualia tantum erga Populum Christianum collata beneficia complexum esse, sed ad publicas etiam levandas calamitates conversum fuisse, quibus Gens aliqua Christiana quandoque percussa fuit. Hoc veterum (1), recentiorumque temporum monumenta, atque hoc nostra, patrumque nostrorum memoria confirmat. Quosnam vero decere magis poterat, vel debebat, paternam hanc ad christianos omnes erigendos, animi sollicitudinem præsesferre, præter eos, quos fides catholica docet, *omnium christianorum Patres, ac Doctores existere?* (2) Ad quos autem magis congruum erat, calamitosas gentes confugere, quam ad illos, qui in summo Ecclesiæ vertice constituti, *urgeri se Christi caritate*, diuturno temporum, ac factorum experimento comprobaverunt?

Praeclaro isto Prædecessorum Nostrorum exemplo, ac voluntatis Nostræ simul inclinazione commoti, ubi primum accepimus, Hiberniæ regnum in permagna rei frumentariæ inopia, atque in ceterarum rerum ad alimenta suppeditanda spectantium caritate versari; et gentem illam terrima morborum colluvie, ex penuria ciborum contracta premi; omnem operam continuo dedimus, ut periclitanti eidem genti quantum erat situm in Nobis, succurreremus. Itaque in hac Urbe Nostra publicas idcirco ad Deum preces fundendas indiximus, et Clerum, Populumque Romanum, reliquosque Romæ commorantes ad opem Hiberniæ ferendam hortati sumus. Quamobrem effectum est, ut partim pecunia a Nobis libenter tributa, partim ea, quæ Romæ collecta est, quantum horum temporum angustiæ patiebantur, subsidium, ad Venerabiles Fratres Nostros Hiberniæ Archiepiscopos mitti potuerit, quod illi, pro locorum, et egenorum civium suorum conditio partirentur.

Verum tales ad Nos afferuntur hactenus ex Hibernia literæ, talia de memoratis superius calamitatibus in ea insula nunc quoque perdurantibus, immo etiam magis ingravescientibus, Nobis quotidie nuntiantur, ut animum Nostrum incredibili dolore ea afficiant, Nosque iterum ad auxilium ei genti tribuendum vehementer impellant. Quid enim ad recreandam illam gentem, in tanto discrimine laborantem experiri non debemus, cum compertum habeamus quanta sit, semperque fuerit Hiberniæ Cleri, et Populi erga Apostolicam Sedem observantia; quantum difficillimis quibusque temporibus, in religionis Catholicæ professione, ejus gentis constantia claruerit: quantis laboribus Religionem Catholicam in remotissimis etiam orbis regionibus propagandam, Hiberniæ Clerus curaverit; quanto denique pietatis, ac religionis studio, apud Hibernicam Gentem, in persona humilitatis Nostræ, Divus Petrus honoretur, atque intelligatur, cuius dignitas, ut Leonis Magni verbis utamur, *in indigno herede non deficit* (3).

Itaque, tam gravi re accurate perpensa et nonnullorum etiam Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, de hoc consilio ineundo probata sententia; hanc ad vos, Venerabiles Fratres, epistolam scribendam esse statuimus, ut una vobiscum, Hiberniæ Gentis necessitatibus prospiciamus.

Scilicet Vobis omnibus Auctores sumus, ut in Diœcesisibus, seu regionibus jurisdictioni vestræ subjectis, prout in Urbe Roma pridem peractum est, tribus diebus preces publicas, in templis, aliisve sacris locis facientes indicatis, quibus Deus misericordiarum Pater exoratus, Hiberniæ gentem a tanta calamitate liberet, et tale, tantumque infortunium a ceteris etiam Europæ regnis, regionibusque propulset. Atque ut id alacrius, et utilius contingat, Nos indulgentiam septem annorum iis concedimus, qui qualibet vice precibus illis intersuerint, iis, vero qui toto triduo, earumdem precum recitationi intererint, et sub tridui hebdomadam, sacramento poenitentiae expiati, SSimum Eucharistiæ Sacramentum susceperint, Indulgentiam Plenariam Apostolica auctoritate largimur.

Quamquam illud etiam plurimum caritati vestræ, Venerabiles Fratres, commendamus, hoc est, ut hortationibus vestris, populum vestræ jurisdictioni subditum, ad Hibernorum gentem eleemosynarum largitionibus sublevandam excitetis. Scimus quidem non indigere vos, ut eleemosynæ

(1) Apud Eusebium Hist. Eccl. lib. 4. c. 23. edit. Cantabrig. ubi agit de Dionysii Corinthiorum Episcopi epistola ad Soterem Rom. Pontificem, qua dicit *jam inde a religionis exordio solere Romanam Ecclesiam ad Christianos necessaria vitae subsidia transmittere*; et hunc morem a Sotere Beato Episcopo adiunctum esse. Item apud eundem Eusebium H. E. lib. 7. c. 5., quo loco commemorat Dionysii Alexandrini Episcopi epistolam ad Stephanum I. Pontificem, qui ad Syriæ provinciam cum Arabia, necessaria subsidia miserat.

Est etiam s. Basili epistola ad S. Damasum Papam, qui loquitur de subsidiis a S. Dionysio Pontifice ad Ecclesiam Caesareensem missis. Tom. III. op. edit. Maurinae ep. 70.

(2) Conc. Florent. in definit. Fidei.

(3) Serm 2. de Anniv. Assumpt. suaæ.

virtutem, uberesque fructus, qui ex illa ad Dei Opt. Max. clementiam impetrandam profiscuntur vobis significemus. Habetis a sanctissimis Ecclesiæ Patribus, et præsertim a S. Leone Magno in plurimis ejus sermonibus (4), docte, sapienterque traditas eleemosynæ laudes. Est etiam vobis in promptu præclara a S. Cypriano Martyre, Carthaginensi Episcopo ad Numidiae Episcopos scripta epistola (5), quae perspicuum continet testimonium studii singularis, quo populus, ejus pastorali curae commissus, christianis auxiliis indigentibus eleemosynarum copiosa largitione subvenit. Potestis præterea S. Ambrosii Mediolanensis Episcopi verba recordari (6), vide-licet: „pulchritudinem divitiarum, non in saeculis divitum, sed in alimentis pauperum esse: in „illis insirmis, et egenis melius opes lucere: discere debere Christianos, pecuniis, non sua, sed „ea, quae sunt Christi quaerere, ut illos et Christus requirat.” His, aliisque pro vestra benignitate commemoratis, speramus certe futurum, ut pauperibus, de quibus agimus, permagno adjuvamento esse valeatis.

Possemus quidem hic finem scribendi facere. Sed cum voluntati Nostræ obsecundantes, publicas preces, Venerabiles Fratres, indicturi sitis, nolumus illud omittere, quod Nos, dies noctesque admonet instantia Nostra quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiaram (7). Versatur scilicet, Nobis ante oculos, quanta jamdiu contra Ecclesiam universam excitata sit, atrox, et saeva tempestas: terret animum recordari quantus sit malignatus inimicus in sancto (8), et quam improba nunc sit machinatio adversus Dominum, et adversus Christum ejus (9). Quare hoc etiam potissimum Vobis commendamus, ut, suscepta publicarum precum pro Hibernia indicendarum occasione, ad exorandum simul pro Ecclesia universa Deum, concredimus regimini vestro populum adducatis.

Interea Vobis, Venerabiles Fratres, Apostolicam Benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die XXV. Martii Anno MDCCCXLVII. Pontificatus Nostri Anno Primo.

(4) De jejunio decimi mensis, et eleemosynis.

(5) Edit. Balutii N. 60., qua epistola S. Cyprianus agens de pecuniis Carthagine collectis, et ad redimendos Christianos ad Episcopos Numidiae missis, ait: „Misimus autem sextertia centum millia nummorum, quae isthic in Ecclesia, cui de Domini indulgentia praesumus, cleri, et plebis apud nos consistentis collatione collecta sunt, quae vos, illic pro vestra diligentia dispensabitis.”

(6) In epist. 2. ad Constantium Episcopum, tom. II. op. edit. Maurinae Parisiensis an. 1690.

(7) 2. Cor. II. 28.

(8) Ps. 73. 3.

(9) Ps. 3. 2.